L.

rebus a deo. Qui enim adheret alicui rei preter deum et non propter deum: minus deo adheret. Aug.
Aug. Minus te amat: qui aliquid preter te amat: quod non propter te amat. Deus volens abraham
sibi perfecte adherere. voluit eum separare a ceteris rebus, et dedit ei preceptum quo separaretur
et a patria sua. et ab hiis quibus ortum duxerat: dicens. Egredere de terra et de cognatione
tua et de domo patris tui: gen. xii°. Dedit et preceptum quo separaretur ab eo quem ortum duxe-
rat ab eo. scilicet ab unigenito suo ysaac. gen. xxii°. Dedit et preceptum quo separaretur quodam-
modo a se ipso. preceptum scilicet de circumcisione: gen. xvii°. Hoc precepto voluit eum separare a
se: quantum ad carnalia desideria. Circumcisio enim facta in carne monebat ad resecandum superflua
desideria carnalia: ideo fiebat in membro illo in quo concupiscentia magis fervebat. ¶ Unitas
Aug. mala multum adversatur unitati spiritus sancti. Aug. sermone 10. Est et mala concordia: est et bona
Greg. dissonantia. Greg. in mor. Sicut nocivum esse solet si unitas desit bonis: ita perni-
ciosum est si non desit malis. In multis religionibus amor qui non est secundum deum: magis no-
cet quam odium. Odium enim cavent multi quia omnes sciunt illud esse malum: amorem vero qui non est secundum
deum non ita cavent. Voluit deus suos suos. et a carissimis separatos esse. ut ipsi perfecte es-
sent ipsius. Voluit ut ipsi odirent eos: luc. xiiii°. Si quis venit ad me et non odit pa-
trem suum et cetera: non potest meus esse discipulus. Deut. penult. Qui dixit patri suo et matri sue
nescio vos. et fratribus suis ignoro illos. et nescierunt filios suos: hii custodierunt eloquium
tuum. Mt. x°. Non veni in terram pacem mittere: sed gladium. Veni enim separare hominem adversus
patrem suum. Exo. xxxii°. dixit moyses. Si quis domini est iungatur michi et cetera: occidat unus-
quisque fratrem et amicum et proximum. ¶ Unitas in religione que non est secundum deum: multum est periculo-
sa. Illa enim bonis resistit; malos robustiores et audaciores facit, correctionem impedit;
et bonorum persecutiones auget. De resistentia habetur act. vii°. Dura cervice vos semper spiritui
sancto restitistis. Spiritui sancto resistit qui bonis que a spiritu sancto sunt contradicit. De robora-
tione dicit greg. Perversos unitas roborat: dum eos concordat. De audacia habetur act. vii°. Im-
petum fecerunt: unanimiter in eum. Audaciores fuerunt: quia unanimes. De impedimento
Greg. correctionis dicit greg. Qui dissoni corrigi poterant: iniquitatum suarum pertinacia uniti perdurant.
Idem. Perversos unitas tanto magis incorruptibiles: quanto unanimes facit. Job xli°. dicitur
de corpore dyaboli: quod compactum est squamis. scilicet defensionis sese prementibus. Una uni con-
iungitur: et nec spiraculum incedit per eas. Una uni adherebit. et tenentes se nequaquam separa-
buntur: id est in bono et in malo sibi consentiunt. quod non est secundum legem vere amicicie. Lex
vere amicicie est secundum sapientem. ut nichil turpe quod rogemus: nec rogati faciamus.
De augmento persecutionis bonorum dicit greg. super iob. Reproborum unitas bonorum vitam tanto
durius premit: quanto se ei per collectionem durior opponit. Josue ix°. Congregati sunt
ut pugnarent contra iosue animo uno eademque sententia. ¶ Tercium est timor domini: qui offensas
dei et scandala proximi [cavet]. Pro. xv°. Per timorem domini declinat omnis a malo. Temeritas
nec deum timet nec scandala proximi cavet: sed congregationem turbat et spiritum sanctum [inhabitantem] contri-
stat. quod non est modicum malum. Ephes. iiii°. Nolite contristare spiritum sanctum dei: in quo sig-
nati estis. Mt. xviii°. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis minimis qui in me
credunt: expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum
maris. ¶ Quartum est humilitas: qua homo minus sentit de se quam de aliis. Qui sensu

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.16, 4v – Humbertus de Romanis (Pseudo-), De eruditione religiosorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tcef/5146/49213)